

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentivs,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope  
innumerabilibus|| emendatus.||**

**Terentius Afer, Publius**

**Venetiis, 1558 [erschieden] 1559**

Prologvs.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

Ostquam poeta uetus poetam non potest  
 Retrahere à studio, & transdere hominem  
 in ocium,

Maledictis deterrere, ne scribat, parat:  
 Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,  
 Tenui esse oratione, & scriptura leui,  
 Quia nusquam scripsit insanum adolescentulum  
 Ceruam uidere fugere, & sectari canes,  
 Et eam plorare, orare ut subueniat sibi.  
 Quòd si intellexeret, olim cum stetit noua,  
 Actoris opera magis stetisse, quàm sua:  
 Minu' multo audaciter, quàm lædit, læderet;  
 Et magi' placerent, quas fecisset fabulas.  
 Nunc si quis est, qui hoc dicat, uat sic cogitet,  
 Vetu' si poeta non lacecessisset prior,  
 Nullum inuenire prologum potuisset nouus  
 Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret:  
 Is sibi responsum hoc habeat; in medio omnibus  
 Palmam esse positam, qui autem tractant musicam.  
 Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere:  
 Hic respondere uoluit, non laceessere.  
 Benedictis si certasset, audisset bene:  
 Quod ab ipso allatum est, sibi esse id rellatum putet.  
 De illo iam finem faciam dicundi mihi,  
 Peccandi cum ipse de se finem non facit.  
 Nunc quid uelim, animum attendite. apporto nouam  
 Epidicazomenon quam uocant comœdiam  
 Græci, Latini Phormionem nominant;

○ Quia

ACTVS PRIMI SCENA II.

GETA, DAUUS.

G. I quis me quæret rufus. D. præsto est, desine. G. oh,

At ego obuiam conabar tibi Daue. D. accipe, hem:

Lectum est, conueniet numerus, quantum debui.

G. Amo te, & non neglexisse habeo gratiam.

D. presertim ut nunc sunt mores: adeo res redit:

Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.

Sed quid tu es tristis? G. ego ne? nescis quo in metu, &

Quanto in periculo sim. D. quid istuc est? G. scies,

Modo ut tacere possis. D. abi sis insciens:

Cuius tu fidem in pecunia perspexeris,

Verere ei uerba credere? ubi quid mihi lucri est

Te fallere? G. ergo ausculta. D. hæc operam tibi dico.

G. Senis nostri Daue fratrem maiorem Chremem

Nostin? Da. quid ni? Ge. quid? eius gnatum Phædrum?

D. Tanquam te. G. euenit, senibus ambobus simul,

Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam

Ad hospitem antiquom: is senem per epistolas

Pellexit, modo non montes auri pollicens.

D. Cui tanta erat res, & supererat? G. desinas:

Sic est ingenium. D. oh, regem me esse oportuit.

G. Abeuntes ambo hinc tum senes me filijs

Relinquant quasi magistrum. D. o Geta, prouinciam

Cepisti duram. G. mihi usu uenit hoc, scio:

O 2 Memin